



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

II. Quia est Dei Mater.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

2. Quia est DEI Mater.

Quid non illi cultus hoc titulo debetur? quia ut *Richard. à S. Lau.* lib. 4. de laud. Virg. Deus Pater Isaac 42. dicit: *Gloriam meam id est Filium meum* (quia *Gloria Patris Filius sapiens Prov. 10.*) *alteri non dabo*, quam Mariæ: soli Mariæ hoc privilegium debebatur. *Galat. 3.* Abraham dictæ sunt repromissiones & semini ejus, non dicit feminibus, quasi multis: quia ex unico semine Virginis. Hic jam moneo cum *S. Anselmo lib. de excell. Virg. cap. 3.* Intendat mens humana & contempletur, videat, & admiretur: unum Filium sibi consubstantialem Deus Pater genuit, hunc sibi tam unicum, & in omnibus omnino æqualem non passus est remanere solum modò suum, sed eundem ipsam voluit in rei veritate esse B. Mariæ unicum, & naturalem Filium, ex quo cum eodem spem colligimus *ibidem cap. 1.* Si propter peccatores facta est Dei Mater, quomodò immanitas peccatorum meorum cogere poterit desperare veniam, cum tam ineffabile bonum sit factum ex ea ob curationem eorum. Et cum *Abulense in nam. 13. q. 9.* De B. Maria dicimus, quòd ipsa propter nos Mater Dei est, & sic dicit Ecclesia. *Qui pro nobis natus, tulit esse tuus*, licet *ly pro*, vel propter, non dicit causam meritoriam, sed finalem, quia nos non meruimus, ut ipsa esset Mater Dei, sed ipsa facta Mater Dei, ut nos salvaremur. Ipsa Mater Dei facta est. Et *Dionys. lib. 3. de laud. Virg. artic. 3.* Virgo recognoscit se peccatoribus suo modo debere, quòd Mater sit effecta Dei. *certè juxta Theologos Verbum incarnatum non fuisset, nisi Adam peccavisset, ut Athanas. serm. 3. contra Arianos.* Necesitas, indigentiaque hominum anterior est, quam Christi Nativitas, quâ sublatâ carnem non induisset. Et *Nazian. orat. 16.* Quæ humanitatis à Deo propter nos susceptæ causa exitit? profectò ut nobis salus pareretur. Sed *August. pro reliquis omnibus qui adduci possunt loquatur sermone nono de verb. Apost.* Nulla causa fuit veniendi Christum, nisi peccatores salvos facere, tolle morbos, tolle vulnera, & nulla est causa medicinæ. Et *serm. 8.* Si homo non perijisset, Filius hominis non venisset. Et *S. Leo serm. 3. de Pentecost.* Si homo in suo honore naturæ mansisset, nec à lege sibi posita deviasset, Creator mundi creatura non fieret. Planè evenit quod *Genes. 7.* *Multiplicata sunt aquæ, et elevarunt arcam.* Multiplicata sunt peccata hominum, & elevata est Arca Mariæ, ad dignitatem Maternitatis, ad tantum autem ut similis sit Divinæ. Quemadmodum enim Virgo Deus generat, ita et Virgo Maria generavit. Verbum mentis sine sordibus fit, Virgo sine sordibus peperit: Verbum mentis illuminat, similiter partus Virginis, ideoque dicitur oriens sine mentis læsione Verbum mentis,

nec Christus læsit Virginem. *Dionys. Carthus. serm. 1. de Concept. B. V.* Non irrationabiliter asserunt, quidam magni Theologi, quòd ratione hujusmodi Maternæ fecunditatis, Maternitatisque Dei, Bma Virgo Maria sit dignitatis quodammodò infinitæ; cum omni ergò reverentia honoranda, nominanda, & cogitanda est nobis, atque post Deum ferventissimè diligenda. Et certè *August. docet serm. de Assumpt.* hujus dignitatis effectum (quòd sit Mater Dei) nec cor concipere, nec lingua valet exprimere. *S. Ephrem Theopol. epist. ad monachos*, cujus meminit *Platinius Cod. 228.* Ad omnem pietatis plenitudinem sufficere Deiparam credere, & appellare SSmam Virginem. Postquam enim quis dixerit Deum incarnatum, SSmam Virginem peperisse Angelorum uti videtur Theologia. *S. Thom. de Villa nova Valentie Archiepisc. serm. 3. de Nativ. Virginis* Cogita Virginem quandā pulcherrimam, purissimam, humillimam, Sanctissimam, & perfectissimam, ex omni parte integram, & consummatam; illa Mater Dei est, & major est quàm excogitare potes, aut intuitu mentis describere. Undè si *Tullius, Demosthenes, Homerus, Virgilius, & alij omnes potentes in dicendo Rhetores* eam laudare per singula conarentur, non sufficerent utique nec modicam ejus excellentiam attingere. Undè admiratur *Fulgentius*. Quænam est ista Fœmina quæ omnibus Sanctis proponitur imitanda? *Et paulo post.* Quidquid capax est non solùm humana natura, sed & pura creatura, totum hoc fuit in Virgine gloriosa. *S. Bernardinus serm. 61. de B. Virg. cap. 12.* Quod Deus generaret Deum nulla requirebatur in Deo dispositio, cum ei ex natura sua conveniat, ut per viam naturæ intellectûs produceret Verbû per omnia sibi æquale: imò impossibile est quòd non generet Deum propter suam fecunditatem, sed quòd fœmina pareret & conciperet Deum; est, & fuit miraculum miraculorum, oportuit enim fœminam elevari ad quandam quasi æqualitatem Divinam; per quandam infinitatem perfectionum & gratiarum, quam nunquam creatura experta est. Undè, ut credo, ad illam abyssum imperferutabilem omnium charismatum Spiritûs S. quæ in B. Virgine descendunt in hora Conceptionis, intellectus humanus, vel Angelicus nunquam potuerunt attingere. Ex quo *S. Thom. de Vill. nova serm. 2. de Nativ.* solvit illam difficultatem, cur Scriptura pauca admodùm habeat de B. Virg. Quid amplius quæris, quid ultra requiris in Virgine, sufficit tibi quod Dei Mater est, quod de ea natus est Jesus, hæc longi & plenissima historia est. *s. Bonav. spec. lect. 10. vel c. 8.* Mater Domini, Mater & Virgo, Mater est dignissima, ipsa est Mater, quæ tali Filio est decentissima, ipsa est Mater cui talis Filius decentissimus fuit, ipsa est, quæ majorem Deus facere non potest, majorem mundum posset facere Deus: majus coelum

im posset facere Deus: majorem matrem quam Matrem Dei non posset facere Deus. *Proclus Archiep. Constantinop. apud Damasc. de Trisagio.* Nihil in mundo cum Dei Genitrice Maria comparandum est: res omnes conditas ô homo cogitatione peragra, ac perspice, an quidquam sit quod S. Dei Gentricem æquet, aut superet, terram undique lustrâ, mare circumspice, aërem investiga, homines animo perscrutare, virtutes omnes ab oculorum sensu remotas cogitatione complectere, ac vide, an in omnibus rebus conditis sit ejusmodi miraculum, ac Maria. *Anthon. de excell. Virg. cap. 2.* Hoc solum de S. Virg. prædicari, quod Mater Dei est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici vel cogitari potest, & altissimum quid habet ad contemplandum, & ruminandum mens humana. *Bern. serm. 4. super Missus.* Quid est, & virtus altissimi obumbrabit tibi, qui potest capere capere, quis enim exceptâ fortassis illâ, quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit? *Petrus Cellensis lib. de Panibus cap. 22.* Et quid amplius Virgini assignare possumus Divini muneris, & honoris, quam ut quod verum est fateamur, Gentricem eam Dei esse & hominis, infra hoc dicitur, quidquid in ejus commendationem assertur. *Emm. Paleol. Imper. orat. de dormit. B.V.* Te immaculatam ubi Dei Matrem appellaverimus, omnia comprehendimus, quæcunque ad nectendas laudes spectant. Nam cum multis usque amplissimis abundes titulis, qui Dei te Matrem dixit, laudationi imposuit coronam: Hæc enim revera est summa encomiorum, quæcunque non modò lingua hominum, sed ipsorum quoque de te proferant Angelorum.

3. Quia est Lumen omnium.

Idem Bern. Ecclesie Græcæ habeo 7. Martij, quæ ita Virginem veneratur. Salve quæ es Solis inaccessi Vehiculû, & radiorû loco ipsummet Solem emitis cunctarum mentium captu majorem! Salve Mens Divinorum igniû sublimibus velis excubijs fulgens! Salve Splendor, qui scintillas ut fulgur, unâque totum terrarum orbem illustras! Splendor aureis rutilans radijs! Splendor omni genere vestitatum decore, cujus nobis exoriens lumen occasum non habet. Simile affect. *Epiph. serm. de laud. Virg.* O Candelabrum Virgineum quod illustravit tenebras involutos; Candelabrum Virgineum repellens tenebras! ô Lucem splendentem. *Idem Bern. serm. de Nativit. B.V.* Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, ubi dies? tolle Mariam hanc maris stellam, maris utique magni, & spatiosæ, quid nisi caligo involvens, & densissimæ tenebræ relinquuntur. *Bern. serm. spec. B.V.*